



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Martini Bonacinæ Vtrivsque Signatvræ Referendarii
Compendium Omnim Operum de Theologia Morali,
omnibusque conscientiæ nodis**

Bonacina, Martino

Coloniæ Agrippinæ

Baptismi forma.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41152

tus homo rectè dicitur baptizatus Confirm. Quia baptismus ordinatur ad expiandum peccatum originale quod maximè infecit partem hominis sensitivam; unde si quis aliam corporis partem ablueret, peccaret mortaliter. Resp. 2 cum Bonacina; uti paulo superius, necessitatibus tempore sufficere ablutionem principalis partis alicujus corporis, ut brachii, pectoris, dorsi; si enim minima tantum pars ablueretur, rediceretur dubius baptismus; secus, si unaquæque manus.

Forma Sacramenti Baptismi.

15. Forma sacramenti Baptismi sunt hæc verba: *Ego te baptizo in nomine Patris. & Filii & Spiritus sancti.* In forma exprimenda est persona, quæ baptizatur, sed non est necessarium directè exprimere personam baptizantis. Similiter exprimenda est actio, quæ circa baptizatum exercetur; sive exprimatur per verbum *baptizo*, sive per verbum *abluo*, sive per verbum *mergo*. Præterea exprimenda est unitas divinæ essentiæ & tres personæ sanctissimæ Trinitatis: quare invalidus erit Baptismus in nomine Christi collatus, aut in nomine Dei, vel S. Crucis. Mutatio substancialis adhibita in verbis formæ, invalidum Baptismum efficit. Hinc sit, ut utens forma Græcorum, validè baptizet. Idem dic de eo qui baptizaret omisisti particula *Ego*; secus dicendum si baptizaret in nomine Genitoris Geniti, & Spirati; validus tamen esset Baptismus, si loco filii, dicatur, *Verbi*. His adde invalidum esse Baptismum si dicatur, intendote baptizare, aut si puer moriatur nondum finita forma Baptismi; aut si conferatur Baptismus in nomine & virtute beatissimæ Virginis, aut Sanctorum. Invalidus est similiter Baptismus, quem quis sibi confert, dicendo, *Ego me baptizo*: possent tamen duo se invicem baptizare tempore necessitatis, dicendo: *Ego te baptizo*. quod si duo unum eodem tempore baptizarent, & unus ablueret, alter verò formam proferrèt, non teneret Baptismus. Unde infer non esse validum Baptismum, quando unus incipit formam Baptismi, & alter eam perficit. Adverte prætereà validum esse Baptismum administratū lingua vulgari, etiā quando omitterentur tres illæ particulæ, *Amen*, *Ego, In.* quia sensus formæ non destruitur, neq; error circa personam baptizantem reddit Baptismum invalidū. Hinc sequitur valere Baptismum collatum filio Caij, quæ Sacerdos opinabatur filium

Titij;

Tituli neque rebaptizandus est masculus, qui pro feminâ fuit baptizatus, imposito nomine, quod imponi consuevit feminis potest enim aliquis propria auctoritate, nomen, per se loquendo, commutare. *tom. 1. de Bapt. disp. 2. q. 2. p. 4. n. 1. & seq.*

ADDITIO.

Quæres: Sitne ratus Baptismus collatus in nomine genitoris, geniti & procedentis ab utroque. Glossa *in c. multum de consecr. 4.* purat esse ratum, quam sequitur Palud. *in 4. d. 3.* & Cajet *in q. 66.* Verum probabilius est sententia D. Thomæ, Albert Sot. *n 4. d. 3.* & Petri Sot. *lect. 5. in Enchiridio Sacrorum.* non esse ratum Baptismum, quem vide.

Baptismi Minister.

16. Duplex est Baptismi Minister, videlicet Minister ex officio seu solemnitatis, & Minister necessitatis. Minister ex officio est Sacerdos, ita ut illicite baptizet, qui cum non sit Sacerdos, tamen solemniter baptizat; usurpat enim sibi alienum officium. *tom. 1. de Baptismo, disp. 2. q. 2. punct. 5. n. 1. & seq.*

17. Minister Baptismi in necessitate, est omnis homo, habens usum rationis, potensque & sciens debitam formam proferre, & materiam applicare. Potest ergo foemina baptizare, ut obstetrics ratione necessitatis; deinde etiam hereticus, immo Paganus, modo intentionem habeat baptizandi, anima amen separata a corpore, non potest validè baptizare, quia non est homo: similiter neque Angelus ob eamdem rationem, absque divina dispensatione, ut diximus v. *Sacramentum.* Adverte graviter peccare cum, qui baptizat extra necessitatem, cum non sit Sacerdos; & qui non est proprius parochus, non potest baptizare solemniter, sine licentia Episcopi, vel proprii parochi. Adverte præterea servandum esse aliquem ordinem in necessitate, in administrando Baptismo, videlicet ut presente viro scœmina non baptizet. &c. *ib. n. 4. & seq.*

18. In baptizante requiritur necessariò intentio baptizandi: hinc sit ut ille validè non baptizet, qui solùm habet intentionem jocandi, & irridendi. *ib. n. 13. & 14.*